

1672, 18. 21
M

Q. D. B. V.
DISPUTATIO IURIDICA
De

ACTIS PUBLICIS

sive
JUDICIALIBUS

Quam
Auxiliante DEO
Consensu & Autoritate Magnifici Jctorum Ordinis
in celeberrimâ Acad. Lipsiensi

PRÆSIDE

p. t.

RECTORE MAGNIFICO

DN. PAULO FRANCISCO
ROMANO

J. U. D. Pand. P. P. inclytæ Facult. Jurid. Assessor
re & Canonico Numburgensi

Patrono ac Præceptore suo ætatem Colendo
publico Examini submittit

CHRISTIANUS SCHUBERTUS — 4
Zittâ-Lufatus A. & R.

Ad Diem 7. Martii Anno 1672.



LIPSIAE

Literis ANDREAE RICHTERÆ

ca





Inclytæ ZITTAVIENSIVM Reipublicæ
VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSO, NOBILISSIMIS
Excellentissimis, Consultissimis, Amplissimis,
Prudentissimis,

DNN. CONSULIBUS
SYNDICO
PRÆTORIBUS

ut et

Reliquis Ordinis Senatorii Assessesforibus
gravissimis,

DNN. MOECENATIBUS, PATRONIS, PRO-
motoribus, Fautoribus, omni animi deveneratiene sem-
per devenerandis, & atatem suspiciendis

hasce

ex

Agro Academico

Primitias

offert, dedicat & consecrat

Autor & Respondens



IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU
CHRISTI, ad omnes Actus, omniaq; Con-
silia feliciter progredimur, l. 2. C. de Off.

Præf. Præt. in Afric.

PRÆFAMEN.

Pratia de Actis Publicis sive Judicialibus præ-
sentem Disputationem conscribendi, quæ
mihi fuerit, haud multis, Lector Candide, ex
me quæras: Cū enim hætenus quæ Privata, quæ
Publica s. Judicialia Acta pro ratione tempo-
poris non infrequenti versaverim manu, ide-
oq; placuit, legale aliquod *προγυμνασµα* de hæc materiã pu-
blice exhibere. Sub Auspicio verò hujus Disputationis DEUM
ter Optimum, ter Maximum supples veneror, suã gratiã mihi
adesse & conatus hos juveniles primitiasq; juridicas ad feli-
cissimum scopum dirigere velit. Tu DEUS ergò esto Prin-
cipium, Medium atq; Terminus. *Nov. 109. pr.*

CAPUT I.

Exhibet Definit. nominal. real. & Divis.

§. I.

OMnis quæ de re aliquã suscipitur Disputatio, à Defi-
nitione debet incipere, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur:
rectis-

A 2

rebellissime inquit Oratorum facile Princeps Cic. Off. 1. & 2. Minusque
ad pr. Inst. de J. & J. n. 5. & absque definitionibus disputare nihil aliud est
quam sine fundamentis edificare. vid. Kirchn. Diss. Pol. Th. 1. alleg
à Dan. Ottone J. U. D. in Dial. Jur. lib. 1. p. 161. Eam ob causam et
tiam hic est re erit, unde principium i. e. nomen descendat, priusquam ad
rem ipsam perveniamus, inquirere, siquidem Juri operam daturus pri-
us sciat, unde nomen Juris deducatur, Monitum Jcti est in l. 1. ff. de
reb. Credit. Constat autem Rubrica Disputationis nostrae duobus
vocalibus; Prius quod attinet, Acta descendunt à primitivo verbo Age-
re, ita quidem, ut nativo laxoque significatione Acta dicantur, quae aguntur,
& quodlibet denotent factum, sive realiter, sive verbaliter quis aliquid a-
gat, sive quid fiat corpore, sive animo & voluntate, sive commissione,
sive omissione; Posterius quid denotet, satis notum est.

§ 2.

Explicata jam Etymologia, devenimus ad Homonymiam, ubi
notandum, quod Acta (1.) latissime accipiantur, & omne id significant
quod verbis vel re agitur per l. 19. ff. de V. S. vid. Thes. preced. quo
sensu contradistinguntur simulatis t. r. C. plus val. quod ag. (2.) su-
muntur late, ita quidem, ut Acta & Gesta unum idemque significant l. 58.
ff. de V. S. (2.) strictè & opponuntur gestis; Acta enim sunt proprie illa,
quae sunt scripta coram Notario & Judice per ipsum Notarium Acto-
rum; Gesta vero dicuntur ea, quae sunt facta, sed non scripta. Marantia
in spec part 6. Tit. de Act. Edit n. 15. Quo sensu posteriori & à nobis ac-
cipiuntur.

§ 3.

Synonyma quod attinet, vocantur Commentaria, Scripta publica
item Acta diurna, Protocolla, Actitata, barbarà quidem voce, Rege-
sta, vulgariter Registra quae Regestaria, quod scilicet res gestas aut acta
contineant: Hoc autem prenotandum est, Acta à nobis sumi Metony-
micè, videlicet per Meton. continentis pro contento, ita quidem ut
Actorum vocabulo ejusmodi volumina atque libri denominentur, in qui-
bus ea, quae sunt acta & facta, registrantur.

§ 4.

Exposita quodammodo Definitione nominali, ad realem nos
convertimus, quae variè à variis constitui solet. Acta Jctis & Imp-
erant

erant libri forensium sive Judicialium scribarum, in quibus Judicium pronunciata scribebantur ap. Paul. in l. Acta 45. ff. de re judic. Hermogenianum in l. Actorum 46. ff. eod. Severum & Antoninum in l. is. apud se C. de edendo. vid. Dan. Döringi Jct. Bibl. Jur. ad Tit. Acta n. 4. Sic Bal. in l. interrogatam 45. C. de liberali causa describit: Quod quicquid est factum in presentia Judicis, etiam non in figura Judicii, Actorum nomine contineatur, & quod proprie dicantur Scripturae, quae coram Judice fiunt, secund. Bald. in l. illud 19. in vers. Act. C. de SS. Eccl. & sic etiam eo nomine venient illa, quae fiunt ante Litis Contestationem. Magis tamen proprie Acta dicuntur post L. C. antè verò tantum preparatoria Judicii vocantur. vid. Singularia omnium Clarissimorum Dd. p. 180. Decis. Gratianopol. 616. ibiq. additamenta p. 572. Acta sunt nomina judicandi & consultandi, & faciunt notorium inter partes ait Jason in l. ejus qui 41. ff. de reb. credit. vid. Arnold. de Reyger Jcti Thesaur. Jur. locupletiss. sub Tit. Acta judic. p. 35. vel. ut accuratius habet Ruland. de Commiss. p. 2. l. 5. c. 6. Acta sunt instrumenta publica, quae inter partes coram aliquo Magistratu gesta continent.

§. 5.

Dicuntur Instrumenta, quia literis conscripta esse oportet, unde consequitur, scripturam esse de essentia Actorum, & quod Acta regulariter debeant probari per Scripturam, ut notat Hyppol. de Marsil. in Repetit. Rubric. de probat. n. 20. ubi reprobat Innocent: contrarium tenentem per c. quon. X. de probat. vid. Reyger Thesaur. sub d. T. p. 33. Guido Papa quest. 518. p. 490.

§. 6.

Nominantur verò publica à causâ Efficiente, rationem reddite glos. in l. comparatione 20 C. de fide Instrument. Nam tabellio est publica persona, item Judex l. exhibere 2. cum gl. ff. ad exhibend. coram quibus conscribuntur, aut in formam publicam rediguntur. vid. Ferrerum Antecessorem Avenionens in rubr. C. de edendo p. 32. 33. & seqq. n. 55. Hâc voce distinguuntur etiam ab Actis privatis, quae quilibet Advocatus & Patronus causae ad sui notitiam sibi colligit. Dici etiam potest, quod ideo publica vocentur, quia manu publicâ scripta sunt, vel quia facta Autoritate publicâ, vel quia dominium talium scripturarum non est alicujus privati etiam scribentis ea, sed illius Rei-publicae

publicæ, cujus Autoritate conficiuntur, *sec. Paul Castr, quem refert & sequitur Pacian. l. de probat. c. 65. n. 10. & II. Unde & eorum Autoritas publica dicitur, ut inter omnes personas fidem faciant, per l. ult. C. de re judic. l. 31. C. de donat. &c.*

§. 7.

Igitur alio planè sensu publica nunc Acta appellamus, quàm olim; Ubi illa vocabantur Acta Publica, in quæ vel gesta in Dicasteriis & Consistoriis Principum, vel in Auditoriis Præsidorum aut Magistratum composita erant. *Hahn ad Wesenb. Tit. ff. de Adopt. n. 5. verb. Act. publ.* Item ea, quæ ad Fiscum vel ad Commentaria Principum, vel ad Grammatophylaceum pertinebant. Vel, quibus res inscribebantur gesta Principis aut populi, aut Leges etiam sive Statuta. *Cic. l. 1. §. 2. Philipp; Plin. lib. 5. Epist. § 1. 2. C. de delatoribus.* Cum his enim Actis publicis, quæ ratione objecti tantum sic dicuntur, impræsentiarum nobis nullum est negotium.

§. 8.

A Definitione pergimus ad Divisionem. Solent autem Acta Judicialia variè dividi, & quidem potissimum tum ratione Formæ, tum Materie, nec non ratione Accidentium. Ratione Materie dividuntur (1.) in Acta Voluntariæ & Contentiosæ Jurisdictionis. *Guido Papa Decret. 564. 528. & 529.* Hæc sunt, quæ coram Judice competente, præviâ tamen causæ cognitione, regulariter pertractantur; Illa verò sunt, quæ nullo observato ordine aut terminis cognitionis coram quovis Judice indifferenter componuntur. Item in Civilia & Criminalia, ad quæ posteriora referimus etiam Acta Inquisitionalia (2.) Acta dividuntur etiam ratione Materie in Acta Iæ & IIæ Instantiæ. Acta Iæ Instantiæ vocamus ea, quæ coram Judicè à Quo, aut ejus Actuario conscripta sunt: IIæ Instantiæ, quæ apud Judicem ad quem pertractantur, v. c. Acta Appellationum (3.) Ratione Formæ distingui solent in Authentica s. Originalia & Copialia, & deniq; (4.) ratione Accidentium in Publicata & non Publicata.

CAPUT II.

De Causa Efficiente

Causam

§. 1.

Causam Actorum Judicialium duplicem facimus, Principalem, Judicem, & minus Principalem, Notarium. Judex potissimum Actis Autoritatem tribuit, unde consequitur, Acta per Notarium fieri non posse sine Judice. Bertach hic post Bald. in Tu. de pac. const. §. in causis in fine & in §. item Sacramenta de pac. jur. firm. num. 19. Lit. N. & in l. precipimus circa med. C. de Appel. l. 2. pr. C. de edendo n. 2. Cui adstipulatur Mod. Pistor, in proc. jur. n. 18. Hic verò oportet esse competens & habilis, alias Acta sunt nulla t. t. C. si à non comp. Jud. §. l. si pater 7. C. ne de stat. defunct. Borell. in Summ. decis. p. 1. Tit. 42. n. 127. Nec valent coram Judice minus idoneo sive inhabili, Tepat. decis. t. 218. c. 9. remissive: nisi communiter reputetur habilis. Bertach hic. vers. 50. Error namq; communis inhabile habilitate, existimatur, l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prator. Unde & Acta coram eo valent, nisi ex causa alià, tamen ut plurimum ob utilitatē publicā, ne scilicet tot Acta coram eo pereant, Br. in lectura ad d. l. Barbarius n. 5. Quod etiam Dd. extendunt ad Tabellionem, qui diu se pro tali gessit, multaq; Instrumenta & Acta confecit, ex post facto autem apparuit ipsum non fuisse Tabellionem. Non minus enim valent Instrumenta per eum facta, sec. Br. in d. l. n. 5. per Text. in Auth. de Tabell. 8. pen. in fin. ibi: documentis propter utilitatem contrahentium non annullandis. Nov. 44. cap. 1. §. 4.

§. 2.

Causa Instrumentalis sive Ministerialis, quā ad ea conficienda titur Judex, est Actuarius, ab Actis aut à Curā Actorum sic dictus, qui etiam alias Tabellio, Tabellarius, item Protocolista, Exceptor, Secretarius, Registrator, item Scriba Judicii Gerichts, Schreiber audit. Hujus operæ adeò necessariae sunt, ut ob defectum illius gesta in iudicio vitium nullitatis incurrant, & Jure haud subsistant. Ordin. Cam. part. 1. Tit. 59. Ord. Crim. Caroli V. Imp. Tit. 1. Ord. Proc. Jud. Elect. Sax. Tit. 2. Carpz. in Proc. Tit. 2. Artic. 4. n. 41. Non tamen sufficit Actuarios Judiciis adhiberi, sed & eos præcisè Notarios esse oportet, de quo clara extat Sanctio Elector. Sax. in Ordin. Proc. Judic. Tit. 2. Also versehen Wir uns auch &c. verb: Sondern auch demselben einen tüchtigen und geschickten Notarium, der den Proceß und andere vorfallende Gerichts Sachen legaliter dirigiren könne / zuordnen vide Carpz. d. Tit. 2. d. Artic. 4. n. 52.

§. 3.

§. 3.

Ceterum de Actuariis duplex obvenit consideratio, una de re-
quisitis, altera de officio illorum. Requisita latè persequitur *Dn. Philipp.*
in Obseru. 2. ad Decis. Elect. Sax. num. 39. Strictè & compendiosè
considerata possunt esse sequentia: ut nempe (1.) Actuarii Judicii
debeant esse peculiari juramento obstricti, solum ad Acta geschworen
haben *Carpz. in Proc. d. l. n. 66. Chursl. Sächs. Hoff. Gerichts-*
Ordnung von Notarien und Schreibern &c. Chursl. Sächs. Appella-
tion Ordnung. Tit. von Secretarien &c. und Unter-Schreibern/Chursl.
Sächs. Process. Ordnung c. 2. §. 1. ibi denselben sonderlich darzu verrey-
den. Berl. concl. 8. n. 18. vid. Döring Bibl. ad Tit. Actuarius n. 61. p.
470. & quidem in præsentia subditorum num. 68. Ratio est, quia sum-
ma fides requiritur in ejusmodi personis, & earum scripta formam
publicam Autoritatemq; repræsentant n. 15. (2.) Debet n. ijs esse lega-
litas, Scientia & Dexteritas. *Gl. & Dd. in l. gener. 3. C. de Tabell. Quid de*
J. Sax. obtineat Tit. præced. est dictum. (3.) ut sint Notarii publici, vel ab
ipso Imperatore, vel Com. Palat. creati. Officium eorum quod con-
cernit, potissimum illud in hoc consistit; ut universa judicii Acta v. c.
Citationes, Dilaciones, Recusationes, Exceptiones, Petitiones, Responsi-
ones, Interrogationes, Confessiones, Leutationes, Appellationes &c.
quæ in Judicio occurrunt, decenti ordine fideliter & diligenter con-
scribant, designando & tempora & personas, atq; eorum omnium quæ
scripta sunt, originalia in Judicii Scrinio conservent, ut si super Pro-
cessu Judicii suborta fuerit contentio, per hoc veritas declarari possit.
Cap. quon. II. vers. statuimus X. deprobat Carpz. d. Tit. 2. Artic. 4. n. 42.

CAPUT III.

§. I.

De Materia objectiva & Formâ.

Objectum sive Materia Actorum circa quam, sunt A-
ctus & Negotia in judiciò v. c. Libellus, Citationes, Dilaciones,
Recusationes, Legitimationes, Exceptiones, Petitiones, Interlocutiones,
Confessiones, Negationes, Testium Depositiones, Instrumentorum pro-
ductiones, Recognitiones, Responsiones, Attestatorum publicationes &
Disputationes, Inrotationes, Sententiæ tam interlocutiæ, quàm de-
finitivæ, earum Publicationes, Leutationes & Appellationes, Resoluti-
ones, harum Interpositiones, Insinuationes, Introductiones, Prosecutio-
nes &

nes & Justificationes, Ordo, Designationes temporum atque personarum, Transactiones, Compromissa, Protestationes, Renunciationes Juramentorum delationes, Relationes, ad ea Oblationes, eorundem Præstationes atq; Remissiones, Supplicationes, Collationes, & alii ejusmodi Actus judiciarii. Observandum tamen hoc discrimen est, quod alia ab ipso Judice per suum Actuarium conficiantur atq; scribantur, ut sunt Citationes, Registraturæ, Sententiæ; alia verò à partibus jam scripta Judici offerantur. v. c. Libellus, Documenta Producta &c.

§. 2.

Illud quæsitum est, an Actuarius etiam mandatum in Originali, ut loquuntur, apud Acta retinere debeat? Respondeo distinguendo, an illud ad hanc solam causam, an verò simul ad alias quoq; datum sit: Ibi originale actis insinuari debet, hic verò producenti reddi ejusq; contenta in quantum ad rem præsentem faciunt, actis inscribi possunt, vid. Mascard. de probat. volum. 2. concl. 1006. n. 6. seqq. Porro quæritur: An aliqua exhibita coram Judice per partem ad ipsius Judicis animi informationem, sint & dici possint Acta, & de Actis causæ? Negativam defendit Guido Papa decis. quæst. 241. p. 257. Rationem assignat talem: Quia ad aliquorum Justificationem non censentur producta, sed extra formam judicii pro solâ animi Judicis Informatione, quod probat verb. exhibere in l. 2. ff. ad exhibend. Qui etiam paulò post distinguit inter exhibita & producta, dicens producere esse adaptare ad ea, quæ judicialiter fiunt arg. l. produci 23. ff. de Testibus. Et ita de Stylo servare Curiam Parlamenti, nec talia dici de Actis causæ, nisi in causa judicialiter producantur, Guido Papa d. l. demonstrat, cum quo & nos facimus, quicquid alii audeant contradicere.

§. 3.

Forma Actorum judicialium consistit in Scripturâ publicâ fide facta. Ea enim ut l. 4. cap. 1. diximus, adeo est necessaria, ut sine eâ, prout quidem volumina, libros aut Instrumenta denotant, nec esse nec concipi possint. Tusch. Concl. 86. n. 12. lit. a. Quod tamen Baldus in l. 2. C. de edendo n. 14. restringit ad ea Acta, quorum Substantia consistit in Scriptura, & quæ ad Substantiam Judicii pertinent, ut sunt v. c. Libellus, Appellatio in Scriptis, dicta Testium, Secus verò esse oportet quoad reliqua, puta ipsam productionem Testium, juramen-
B tum &c.

tum &c: hæc nimirum etiam per Testes probari secundum l. quon 21.
C. de heretic. l. quoties 18. §. penult. ff. de probat. Sententia tamen
nihilominus subsistit, quod regulariter non probentur Acta, nisi per
scripturam. Coler. de Proc. exec. p. 3, c. 1, n. 30.

§. 4.

Facile autem patet, quod Acta etiam legaliter sint conficienda, si-
ne eo enim Judici non creditur. Wesenb. in Tit. C. de jure jur. n. 61.
Et si secus est, ipsa vitiatur sententia. Donell. lib. 27. c. 6. nec regulari-
ter convalidari possunt. Tusch. Concl. 94. lit. a. Quapropter Actuari-
us cautè debet procedere & in id allaborare, ut (1) universa iudicii
Acta fideliter conscribat, sincerè & verè, ad omnem falsitatis suspici-
onem amovendam, per c. 11. X. de probat. Ob quam rationem rectè
prærequiritur, ut Actuarius omnia in præsentia Judicis vel Assessorum re-
gistret. Philippi Decis. 38. Observ. 2. n. 21. Berlich. Concl. 8. n. 24. per
c. quoniam 11. X. de probat. Ord. Jud. Elect. Sax. dict. c. 2. §. ibi:
Und durch ihn jedesmahl / in beyseyn der Gerichts-Personen den
Acten und Gerichts-Büchern dasjenige einverleiben / registriren
und schreiben lassen / was sich nach Gelegenheit des negotii und processus
eignet und gebühret / idq; tam in ordinariis, quam summariis causis,
per text. express. in d. c. quo. 11. Rosbach. in process. c. 8. n. 4. versu
Et hoc non solum. Nam alioquin pro Processu rectè & ritè factò,
pro Citatione, & aliis Actis actitatisvè non præsumitur. Berl. d. n. 24.
(2.) integrè quoq; scribi, nec manca, mutila aut cancellata esse debent,
alias enim non magis fidem ullam operantur, & Judex tenetur ad
Interesse, & arbitrariè punitur, Gail. 1. Observ. 134. n. 12. Præterea
ad integritatem & incolumitatem Actorum vel agnoscendam, vel
conservandam maximè facit institutam, daß sie richtig geheftet und
foliiret werden sollen. De quo vid. Neue Churfl. S. Eried. in Justiz
Sachen §. 16. vers. würde man aber. (3.) Acta conscribi debent cum
Loco, Die & Consule, etiamsi iis non sit usus adversarius Boer. in
sing. verb. Edit. n. 11. h. e. Acta conficiens Scriba, à quibus, coram quo,
quo tempore & quo in loco conscripta sint, explicare debet. c. quoniam
contra vers. loca designando, tempora, personas, & ibi Ang. Bero. n. 220.

§. 5.

De cætero istud obiter tantum notandum est de tempore, quo A-
cta sunt conficienda, septiduum nimirum de J. Sax. esse statutum Ad-
vocatibus



vocatīs ut & Actuariis, intra quod spatium in singulis Terminis Advocati & Patroni causarum positiones suas sub certā pœnā absolvere tenentur; Actuarii verò in contrarium positiones rogare & sollicitare, mandataq; & quæ ad Legitimationem Procuratorū alias requiruntur, ab iis postulare coguntur. *Churf. Sächs. Appell. Ordn. Beylage in Corp. Sax.* Ulterius quoq; hic quoad temporis Circumstantiam observandum, quod vulgò disquiri soleat, num noctu etiam fieri Acta possint? Quod negat *Maranta in d. Tract. n. 20. Bart. in l. non minorem 20. C. de Transact.* Illud concedi potest in negotiis, quæ dilationem patiuntur. Secus verò si res est, dicere non dubitarem, etiā tempore nocturno Acta posse concipi, eòq; non obstante fidem ea mereri Sic si homicidium contigisset, aut testis eras summo mane abiturus ad perpetuā rei memoriā examinandus foret non dubito Acta quoq; tempore nocturno desuper composita omni fide esse digna.

CAPUT IV.

De Adjunctis

§. 1.

Nunc etiam nonnulla dicenda veniunt de loco, ubi Acta confici atq; asservari debent, qui est Judicium, ita tamen, ut quod confectionem attinet, judicium intelligatur, ubi aliquid sit Judicis Auctoritate quocunq; etiam in loco extra judicium *l. an apud se 5. ff. de manumiss. vind. Vvesenb. in Paratit. ff. qui Testam. fac. poss. n. 10. Jason in l. is apud quem 2. C. de edendo n. 4. v. g. quando persona aliqua honoratior in domo propriā coram Actuario, aliisq; personis fide dignis à Judice missis documenta recognoscere aut jurare solet, non est dubium, quin ibidem id, quod agitur, literis quoq; consignari possit atq; ad acta etiam referri debeat. *De quo latè Carpz. in Proc. Tit. 14. Art. 2. n. 89.**

§. 2.

Locus autem ubi confecta reponenda aut conservanda sunt, vocatur Archivum, item Cancellaria *Canzleyen*; Item Serinium, Grammatophylaceum. &c. apud minores Judices verò repositura judicialis, *Gezichts* positur. Lipsiæ apud Magistr. Urban. est die *Stadt-Schreiberen* und *Bersatz-Stube*. Et hæc quidem quæ de Actorum Conservatione & Repositione diximus, tandiū obtinent, donec Acta sunt vel edenda, vel Transmittenda.

§. 3.

Editionem quod attinet, ea non solum partibus litigantibus, sed etiam aliis, quorum interest, quamvis in iudicio non intervenerint, facienda est. *Pacianus de probat. l. 1. cap. 65. n. 12. & n. 88.* & ita saepe copia quorundam Actorum datur iis, qui in lite non fuerunt, ob interesse de quo constat. *Berlich. decis. 56. n. 2.* Quod si verò Editio Actorum recusetur, per Cōpulsoriales à Iudice Superiore impetrāda est. *vid. Gail. 1. Observ. 134.*

§. 4.

Post conclusionem in causa, transmitti solent Acta vel in Collegium Juridicum, vel ad Superiorem. Transmissionem autem praecedit Inrotulatio & Sigillatio, quibus Actibus, quemadmodum etiam ad aperiendum & resignandum, partes praevia citatione adesse debent, ne ansa de suspecto Iudice conqverendi arripere queant. *Carpz. in Proc. Jur. Tit. 16. Art. 1. n. 35. & seqq.* Partes in quod Collegium transmittere velint Acta, si conveniunt inter se, illis Iudex deferre tenetur, quod tamen in foro Sax. imprimis verò in Electoratu Sax. non sepe praecise observatur. *juxta Carpz. d. l. n. 36.* Hoc etiam insuper notari meretur, quod Senatus Urbanus Lipsiensis omnes causas quae ibi ventilantur, tradat Dni. Scabinis, etiamsi pars litigans contra Collegium Scabinatus protestata fuerit, idq; habet ex speciali Privilegio Ser. Electoris Nostri, Domini nostri Clementissimi, & Antecessorum beatissimae recordationis, quemadmodum observavimus ex Relationibus & earum resolutionibus in Sachen Heinrich Schmieden contra die Gramer alhier in puncto eines Legati, in Arrest- und Cöcurs-Acten Caspar Schmiedens gläubigere betr. fol. Act. 326. & 327. in Inquisition Sachen Christinen Abneussen und der Manspergerin wegen verkauffter Silber-Spizen und Gallonen fol. 131. 132. 133. in welchen unterthänigsten Berichte wird sich so wohl auff iehige Churf. Durchl. als auch auff dero H. Vater Christl. Seeligsten Andenckens und dero gnädigste ertheilte Resolutiones beruffen it: in Sachen Balzer Friedrichs contra Georg Reuters Testament Erben Vol. 2. Act. fol. 107. 108. 109. 110. 111. & 112.

§. 5.

Transmittuntur autem Acta ad Superiorem Iudicem, quando causa vel advocatur, vel ad eundem per Appellationis modum devolvitur. Hic ansa capere possemus prolixè agendi de Actis Iæ Instanz, nisi temporis penuria nobis maximè obstatet; poterit tamè de his praeter *Carpz. Proc. videri R. Sachs. Erled. in Justiz. Sachen 9. 93. ibi* wie es mit Abfolgung der Acten erster Instanz zuhalten. Quæri autè

h. l. potest, num Appellans an verò Appellatus, debeat Acta producere in
causa Appellationis, vel Appellationem ritè interpositam probare? Et
quod onus hoc Appellanti incumbat, ut Acta prioris Instantiæ producat,
asserit *Graven. p. 1. Concl. 134. consil. 4. n. 1. Rebuff. Cavalcan. & alii a-*
deo, ut si intra legitimum tempus Acta non producantur ab Appellante,
Appellatio deserta fiat, non aliter ac si eam planè non justificasset. l. eos
qui 6. §. 3. *ibi: opiniones sive sententias C. de Appell. l. 2. C. de edendo l. 25.*
l. 19. & l. 24 C. de Appell. l. nemo 2. C. de tempor. Appell. Quod & ex-
pressè sancitum invenitur in Constit. Appell. Elect. wie die angenommen
g. Nachdē sich aber oft ibi: So soll hinführo / damit an Justificirung der
Appellation wegen Mangelung der Acten 1. Instanz. nichts hinderliches
vorfalle / ein jeder Appellanti die Acta einzuliefern schuldig seyn: & in verb.
fin. Sonsten aber und do die Acta auff bestimmten Termin nicht eingebracht
worden / noch auch der Appellanti umb Compulsoriales an dē Unter-Richt-
ter angesuchet / soll er sich ferner mit dē Unter-Richter nicht zuentschuldig-
gen haben / sondern wo er nicht andere erheb. Ursachen vorzuwenden /
die Appellation auch daher vor desert und erloschen geachtet werden.
Finitâ autē Appellationis Instantiâ, Appellans Acta Judicis à Quo, vel
ipse, vel per Tabellionem juratum sub poenâ arbitrariâ procurare atq;
insinuare obligatus est. *N. Erled. in Justiz Sachen s. 53. in fin. Cate-*
rum plura desiderans de hac materia, potest consulere Henningi Ren-
nemanni Tract. de Transmiss. Actor. à Dn. Johanne Schmidelio J. U. D. atq;
Antecessore Erfurtensi denno nuper editum, notisq; & animadversionibus
subitaneis auctum.

CAPUT V.

De Effectu & Contrariis.

§. I.

Actorum rectè riteq; confectorum atq; repositorum Effectus sunt
varii (1) Acta publica in Judicio justo ordine composita, paratam habent
Executionem, quia faciunt rem liquidam, notoriam & fidem plenam.
Cui accedit rei judicate Autoritas, quæ æquè fidem Actorum ac Senten-
tiæ confirmat & roborat. *Mind. de process. lib. 2. c. 66. n. 1. 2. 3. (2) Acta*
publica plenissimè probant, iisque credendum est sine Testibus Gail. l.
Observ. 234. n. 12. Carpz. de Proc. Tit. 14. Artic. 5. n. 33. & seqq. mortuo
etiam Judice vel remoto l. gesta 6. C. de re judic. Baer. decis. 108. n. 1. Ar-
nold. à Reyger in Thesaur. Jur. de Exec. n. 101. & alii (3) Acta in uno judi-
cio faciunt fidem in alio, quando ad unum finem tendunt, aut sententia
lata

B 3

lata in uno parit Exceptionē rei iudicatæ in altero. *Schrad. de feud. part. l. c. 7. n. 101. (4) Effectus est; Quod ea, quæ Acta non loquuntur aut testantur, non habeantur pro probatis aut gestis sec. Bald. in c. quon. contra X. de probat. Ubi enim Acta non loquuntur, nec nos loqui debemus. Corbm. Vol. 4. resp. 32. n. 55. per l. ad probat. 22. C. de probat. Et actum aliud non intelligitur, quàm quod scripturâ expressum est. id. Vol 2. resp. 89. n. 22. Unde (5) consequitur Effectus, quod obligent Judicem, ut juxta Acta non verò extra. secundum solam suam privatam conscientiam jus dicendi ipsi sit. vid. *Tulden. ad Damhoud. c. 149. & Dd. passim. & sine Actis lata sententia sit ipso Jure nulla. Græver ad Gail. 1. Obser. 134 (6) suppeditat satis firmum & validum Argumentū: in Actis quod non reperitur, omissum censetur text. est in d. c. quon. contra de probat & c. Alberic. de Testib. Gail. 1. Obser. 134. n. 15. Sunt præterea adhuc & alii quàm plurimi: Sic Acta sunt perpetua, ideoq; semel publicata faciunt perpetuam fidē, tam in ead. Instantiâ, quàm in aliâ, etiam mortuo Judice vel remoto ut sub n. 2. dictum fuit. it: Actis cujuslibet Judicis creditur: Eodem pertinet, quod Acta vice Originalis fungi dicantur secundum communem Dd. Conclusionem Bertach. his Porro, Acta de quibus Judice Autore sumptum Exemplum est, plenam faciunt fidem, etiamsi exemplar aliquâ de causa intercidisset, vel rasum aut abolitum inveniretur id. Berta. Acta etiam civilia faciunt perveniri posse ad criminalē punitionem, quando ex Processu Civ. constat Judici de crimine. Sed & apud Acta promittens, promissionem implere cogitur. Deniq; Acta cum minore, vel ejus procuratore non legitimo, valent ad commodum, non ad præjudicium minoris: Plures addere tempus non permittit.**

§. 2.
Occurrit hîc Questio illa nobilis & famosa, quàm; inter Theologos, quàm Jctos celebris & controversa, jamq; olim inter veteres glossatores agitata, nimirum: Utrum Judex secundum Acta & probata, an verò secundum Conscientiam judicare debeat? Multi sunt, qui prius defendunt, nec desunt qui posterius propugnant. Nos priorem sententiâ conabimur defendere, hisce potissimum rationibus stipati, & (1) quidē probamus eam exemplo Dei ter. Opt. Max. cujus oculis tamen nuda sint omnia & aperta, turpissima tn. Sodomæ flagitia non antè judicare voluit, quam manifestè cognovisset esse vera, quæ jactabantur. Unde *Gen. 18. v. 21. Descendam, dixit Dominus, & videbo, utrum clamorem qui vexit ad me, opere compleverint? vid. Nic. Lyræ ad h. l. & c. Deus Omnipotens 20. causa 2. qu. 1. (2.) Propugnamus nostram sen-*

rentiam Textu Jur. Can. e. iudices 3. qv. 7. ibi: Bonus Judex ni-
hil ex arbitrio suo facit & domestica proposito voluntatis, sed juxta leges &
jura pronūciat, statutis Juris obtemperat, non indulget propria voluntati,
nihil paratum & mediatum domino deferit, sed sicut audit, ita judicat. (3)
Adstruimus multifariis Jur. Civ. Textibus fundati. Cum autem institu-
ti nostri ratio non patiatur omnes h. l. recensere, aliquot saltem atq;
præcipuos tantum ex iis placet adducere. (a.) sic v. g. dicitur Judex tene-
tur sec. veritatem judicare l. rem non novam 14. C. de Judi c. Jgitur se c.
probationem & Acta. Alciat. in d. c. Sacerd. de offic. Jud. ord. n. 84. (β.)
in confesso est, quod Judex non possit sustinere partes Judicis simul &
Testis, quod fieret si Judex ex propria scientia omissis Actis & probati-
nibus judicare vellet. Monach. in c. dilecti. n. 11. (γ.) Si Judex possit secū-
dum conscientiam judicare, non semper opus esset ut Actor intentionē
probaret, quia Judex aliquando probationis defectum supplere posset:
Regulariter Actori incumbit probatio, eoq; non probante, reus, e si
nihil præstiterit, obtinebit l. 4. C. de edendo l. negantes 9. C. de O & A.
l. siquidem 9. C. de except. & præscript. Ergo Judex non secundum con-
scientiam, sed sec. allegata & probata judicare tenetur. Cætera re-
linquimus conflictui publico. Possunt autem de hac controvers. amplius
videri Dæringi Bibliothec. ad d. Tit. p. 217. & seq. Kubach. Cent 2. qv. 7.
p. 435. usq; ad p. 450. Johan Corasius in Miscell. Jur. Civ. cap. 20. p. 315.
& 316. Item Liebenthal in Polit. & alii.

§. 3.

Nonnunquam etiam aliquid adversi Actis accidere solet, ut vel
incendio consumatur, vel corrupatur, perdatur aut surripiatur. Quod
si itaq; incendio aut alio casu deperdita fuerint, duplex remedium liti-
gantibus superest, vel enim per Testes probare possunt, quæ gesta sunt
Gail. 1. Observ. 134. n. 20. Frid. proc. Sax. p. 2. c. 10. n. 7. 13. seqq.
vel de novo procedere debent. Minsyng. Cent. 1. Observ. 12. Gail. d. l. n. 21.
Quod si à tertio detineantur, legitima supersunt remedia, quibus is
cogi potest ut edat vel restituat. Non enim licitū est Acta publica retine-
nere, quemadmodum privata ab Advocatis aut Actuariis retineri pos-
sunt, Carpz. p. 2. Const. 25. def. 23. Quod si negligentia Judicis vel No-
tarii non quidem planè interierint, manca tñ. sint & imperfecta ac pro-
pterea integra edi nō possint, respondent nonnulli Dd. quod istæ personæ
Partibus ad interesse teneantur. Christina Vol. 1. decis. 254. n. 7. &
seqq. usq; n. 18. Gail. 1. Observ. 11. Ruding. Cent. 1. Observ. sing. 8. n. 5. 6.
ubi

ubi notat, in Camera Judicem in super poenam extraordinariam coerceri.
 Præterea sciendum, quod surripiens Acta, furti teneatur. *Wurms. 1. Obser.*
25. n. 3. Acta causæ corrumpens, crimen falsi incurrit, & totam causam
 amittit. *Covarruv. c. quamvis partum 2. de pact. in 6.* De poenam præ-
 terea ejus, qui Acta delet, falsificat, dissigilliat. *Vid. Port. consil. 7. n. 21.*
Vant. in Tract. de nullit. tit. de nullit. ex defect. Process. n. 141. & alios, qui
 omnes partim. *per l. 16. ff. ad L. Corn. de fals. partim per Text. & Gl.*
in l. in fraudem 45. §. quoties 7. ibiq. Bartol. ff. de Jure Fisc. conclu-
dunt, causam cadere delinquentem talem, alios autem aliis poenis coercer-
ci. Huc pertinet etiam conventionalis annullatio, sive destructio,
 quando partes Processuum pertaxæ, lites transactione componunt per
 modum amicitia, posteaq; volunt, ut Acta super eam re ad sepeliendam
 pristinae dissensionis memoriã penitus corrumpantur atq; aboleantur.

§. 4.

Esset nobis jam commoda occasio de cognatis s. affinibus Acto-
 rum judicialium videlicet de Actis Notariorum & privatis nonnulla in
 medium proferendi, sed tempore exclusi hinc subsistimus. Deo autem
 Ter Opt. Max grates, quas mens cogitatioq; nostra capere potest, de-
 cernimus maximas in sempiterna Secula.



COROLLARIA.

1. Forma Imperii Nostri Romano-Germanici est mixta.
2. Camera Spirensis habet concurrentem Jdictionem
cum Judic. Aul. Cæsar.
3. A Camera Spirensi non datur Appellatio.
4. Contra Imperii Nostri Ordines non committitur cri-
men Læsæ Majestatis.
5. Lupanar in Republ. benè constituta tolerari non po-
test.
6. Αυτοχειρία non est licita
7. Αματόδειξις non probat occiforem.

F I N I S.



Leipzig, Diss., 1672 (1)


TA-OL


32.1+28



107







Farbkarte #13

B.I.G.

1672, 18 ~~2~~ 21

ICA

LICIS

US

toram Ordinis
iensi

FICO
NCISCO

Jurid. Asses-
ensi

em Colendo
ttic

RTUS — 4

72:



ERA